

finu ac præparatione diuersa est) de euentus tum specie tum qualitate paululum coniectari. Duplex enim Adrastix lex à philosophis memoratur. Sed ne quid ultra, quàm homini fas est, nobis sat fuerit altius cogitandi viam vel solo digito commonstrasse, prognosin alijs relicturi.

Per 3. ferè septimanas hæctenus (quod mirum maxime puto) loco non est digressa, quantum obseruare potuimus. Eadem vero analogia ad stellas reliquas fixas impulsu primi mobilis, circa polos paruum quotidie circulum exarauit, attingens Meridianum hora octaua 20. minut. plus minus, non procul à vertice latitudinis nostræ. distat enim 9. gr. fere. Vnde & septentrionalibus locis magis incumbit. Cum eadem fere culmen attingit ala Pegasi, & caput Cassiopeæ, & corpus Andromedæ, & cauda cæti &c. exactissimè vero stella polaris. quare ad hanc illius sedem figura vniuersa meritò describenda est, si quis naturalibus volet aut mathematicis rebus causas metaphysicas coaptare: quod tamen quantū persæpe vanitatis obtineat, aliorū cito iudiciū.

Multa in hoc prodigio superant mortalium fidem. Nam primo, vel quid sit, dicere non admodum promptum est. Stellam vero si quis afferat, non physicis tantum, sed & mathematicis demonstrationibus & obseruatis hæctenus conuincetur. Hoc enim duntaxat nobis aperiant, quo sydere quam constituat cœli partem. nã & solitè omnes apparent, & nulla accedit noua, cū cœli natura sit ingenerabilis, incorruptibilis: stella autē pars cœli plane consimilis rationis. Videtur tamē quia scintillat materie tam stabili permanente, planetis cæteris quoque superior. Minus multò cometen aut exhalationem quampiam esse docebis. Nam quando vsquam cometæ species istiusmodi visa est? quin omnes aut comam aut barbam, aut gladium, aut hastam, aut tubam,